Cui prosperitas illi leticia non indixerit. Cui calamitas non in eum redundavit miseria. Omnibus postremo
omnia factus ita mirum in modum singulis morem gerebat, ut omnium licet etate, sexu, vita dissidentium
pari concordia in eum studia flagrarent. Sicque liberalis eius sedulitas tam deo quam sibi animos popularium
brevi conciliaverat, ut omnes in religionem devoti et in eius favorem quammaxime proni efficerentur. atque
vulnus meroris quod ob decessum beati Bonifacii plerosque invaserat, cito propter tam egregium successorem incica-
tricem occalluisset. Neque vero tam felicibus eventis suis ipse lascivus applaudebat, aut propter ambiciosam pompa
aurę popularis ipse sibi ullius delicti ignavię gratiam faciebat, metuens cum apostolo ne forte cum aliis pre-
dicasset ipse reprobus efficeretur. Idcirco nihil sibi de priorum(?) parcitate cibi ac potus, nihil de labore vigi-
liarum, nihil de contemptu rei familiaris, nihil de pristina morum ac vitę totius temperantia remit-
tebat. Oblitus magis posteriora toto annisu extendebat se in anteriora, anxie inhians bravio superne
remunerationis. Cum ceteros iam pridem fide ac pietate superasset, atrox tamen animo suo certamen gere-
bat ut se ipsum quoque superaret, atque in dies se ipso religiosior atque in studio morum perfectior haberetur.
Aliquantum [intra] temporis post abscessum beati Bonifacii fluxerat. Et ipse in curte regia Ingelheim [hilestheim]
morabatur, constituto ibi tunc rege Pippino apud quem frequens adesse solebat. Ille gratissime consiliis eius ute- cap.
batur et precipua quęque regni negotia illius nutu administrabat. tanta viro insigenii et latitudo
cordis erat, ac propterea egre patiebatur eum lateri suo usquam locorum abesse. Quadam igitur nocte
in lecto decubans cum iam vigilia et adulta quiete prima, ut aiunt, somni nebula oculos eius cap.
perstrinxisset, vidit assistere sibi beatum Bonifacium stola pontificali ac vestimentis solito cultioribus
amictum, vultu quoque ipso ac veneranda canicie quiddam divini splendoris preferentem. Obstupuit
primum terrore inopinato perculsus, atque in eodem lumina defixus obtutu tacitus quantum incumben-
tis formidinis articulus patiebatur secum tractabat ne forte sopor dormienti more
suo vana somniorum spectacula preberet. At ille faciem qua recognosceretur familiari detegens
cum urbana quadam ac festiva hilaritate fronte circa oculos intuentis explicasset, en inquid
frater dilecte tempus exigit, ut promissis tuis fidem facias. Hodie Christo testimonium dicens cervice
percussori prebui, hodie triumphali pompa laureatum me celi recepit palacium. Nunc ergo memor
sponsionis qua te presente deo obligasti moras omnes abrumpe, residuas animę iam triumphantis ex-
uvias require, easque peregrinis regionibus ereptas sic pollicitus es defer in monasterium Fuldense.
Non frangat te arduum negotium, non moveat te iter asperum, non terreat te barbarę nationis atrox
et crudele ingenium, deo auxilium ferente omnia tibi cedent prospere. In hęc verba visio pariter cum
sono disparuit. Lullus archiepiscopus gravi merore confectus. haud enim in ambiguo erat beatum
Bonifacium humanis rebus excessisse. ubi primum crastina lux terris est reddita, ad regem Pip-
pinum rem detulit. Et vale facto in sua se recepit, ibique vocata in colloquium multitudine im-
mane facinus Fresonum exposuit. quod illustris viri et toto orbe nominati sanguine manus suas
commaculassent.